

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Martini Chemnitii, Doctoris Theologi celeberrimi, Harmonia Quatuor Evangelistarum

Quam ab Eodem feliciter inchoatam ... D. Polycarpus Lyserus, et D.
Johannes Gerhardus, ... Is quidem continuavit, Hic perfecit ; Opus
Eruditionis Stupendæ, Orthodoxorum consensu approbatum, idemque tot
Eruditorum desideriis adhuc expetitur

**Chemnitz, Martin
Leyser, Polycarp
Gerhard, Johann**

Hamburgi, MDCCIII

VD18 90617681

Caput LXXV. Continens Historiam De Fama Jesu Apud Herodem Sparsa,
Matth. 14. v. 1. Marc. 6. v. 14. Luc. 9. v. 7.

urn:nbn:de:gbv:45:1-18203

quo communicaverit in secundis. Lugdunum itaque Galliarum deportati sunt, ubi ambo vitam miserabiliter finiverunt. At de saltatricula refert Nicephorus lib. 1. c. 20. Eundem ipsi fuisse brumali quodam tempore, & fluvium trajiciendum, qui eum glacie constrictus coagmentatusque esset, pedibus eum transisse: glacie autem rupta, idque non sine Dei numine, demersam illam statim capite tenuit, & inferioribus corporis partibus lascivientem, molliusque se moventem saltasse, non in terra, sed in undis: caput verò scelestum, frigore & glacie concretum, deinde etiam convulserunt, & à reliquo corpore non ferro, sed glacie crustis refectum, in glacie ipsa lethalem saltationem exhibuisse, spectaculoque ejus omnibus præbito, in memoriam ea, quæ fecerat, spectatoribus revocasse. Sic ergo videmus, Deum sanctos suos nequam negligere.

Superest officium pietatis, quod discipulos suo præceptori Joanni exhibuisse Evangelistæ testantur, illud tribus hæc constat. 1. *Σαμα Corpus capite suo deflitutum*, quod propterea Marcus *ἄσπυα*, à *ἄσπυα*, seu *cadaver* à cadendo, dicere maluit, *συστάληρον*. Nimirum truncum illum, à spiculatorum contemptum in carcere relictum, ne qua majoræ ignominia afficeretur, abstulerunt, & alio deportarunt. Equidem Eretellus quidam, ut habet Adrichomius, refert, Joannem sepultum esse in ipso castro Macherunte. Sed probabilius mihi ob hoc ipsum verbum *ἄσπυα*, *συστάληρον*, videtur D. Hieronymi sententia, qui de locis Hebr. ut & alii, testatur, illum sepultum esse Sebastæ (quæ ex Samaria, postea in honorem Augusti Sebaste dicta) juxta Elisæum & Obadiam Prophetas. Ratio hujus translationis trunci hæc esse videtur. Herodias (si veteribus credere licet) etiam in defuncti Joannis caput sævit, ipsius veriloquam linguam acui discriminali perforans, non aliter, quam ut de M. Antonii conjuge Fulvia refertur, quod idem cum Ciceronis capite fecerit. Illud etiam postea in abstrusiore regie loco, remotis arbitris, sepeliendum curavit, metuens, ne si cum reliquo corpore conjungeretur, à mortuis resurgeret, & priores reprehensiones repeteret. Discipuli ergo metuentes, ne etiam in truncum sæviret, illum extra Herodis ditionem alio transferendum duxerunt, nimirum Samariam, quæ tum cum Judæa in provinciam re-

ducta, per Romanos Præsides administrabatur. 2. *Corpus sublatum posuerunt in monumento* seu sepelierunt, juxta usitatum morem in populo Dei, non tantum Patrum exemplo, sed etiam ex Dei verbo introductum. Deus enim Adamo in peccatum prolapsio dixit: terra es, & in terram revertaris, Gen. 3. v. 19. Quod verò aliquod regum cadavera concremata sunt, illud gentilissimum sapit. Nihil autem hic audimus de ineptis & superstitionis exsequiis, quales postea sub Papatu sunt introductæ, quibus defunctorum salutem promoveri hominibus persuadere conantur. Nos novimus, beatos esse, qui in Domino moriuntur, Apoc. 14. v. 13. Credimus quoque, quod ii, qui in Christum credunt, habeant vitam æternam, ut in judicium non veniant, sed transeant à morte in vitam, Joan. 6. v. 24. licet istiusmodi nugis destituantur. Nam, ut recte Augustinus de Civit. Dei lib. 1. c. 12. scribit: Curatio funeris, conditio sepultura, & pompa exsequiarum, magis sunt vivorum solatia, quam mortuorum subsidia. 3. Indignam sui præceptoris cædem *Christo nunciant*. Nam adhuc ipsos Joannes in vita sua miserat, hunc veram lucem esse docuerat, ipsius denique prænunciatus fuit. Voluerunt ergo Dominum absque dubio de periculo præmonere, ut sibi ab isto tyranno caveret, & præbent hi laudabile exemplum pietatis omnibus discipulis erga suos præceptores. Hos non tantum vivos colere & observare debemus: sed etiam ne mortuorum quidem nos pudere decet. Ignominiosum est jugulum carnifici præbere ferendum, quod Joanni accidit: quia tamen discipulos fideliter instituerat in via salutis, ne mortuum quidem deserunt, sed intrepide ipsius cadaver auferunt. Idem fecerunt Josephus Arimathæus & Nicodemus. Matt. 27, 57. & Joan. 19, 38. Idem officium pietatis primitiva Ecclesia Stephano protomartyri præstitit, nihil curans insanam Judæorum rabiem. Act. 8. v. 2. Ut jam taceamus exempla veterum, quæ leguntur. Gen. 23. 25. 35. & 50. c. Si quæ etiam nobis adversa eveniunt, ad amicos confugiamus, tristitiam nostram in ipsorum sinum effundamus, ut ab ipsis vicissim consolationem accipiamus. In primis autem ad Christum Dominum recurramus, qui se miserorum, pupillorum & afflictorum patrem futurum in verbo suo pollicitus est. Ei curas nostras commendemus, ipse nobis prospiciet, nosque reficiet, Matth. 11. v. 28.

CAPUT LXXV.

CONTINENS HISTORIAM DE FAMA JESU APUD

HERODEM SPARSA, MATTH. 14. v. 1. MARC. 6. v. 14.

LUC. 9. v. 7.

RATIO ORDINIS.

Uando hæc historia acciderit, Matthæus indefinite designavit *in illo*, inquit, *tempore*. At ex Marco & Luca aperte intelligi potest, eam una cum Joannis de collatione incidisse in id tempus, quo Christus duodecim discipulos ad docendum emiserat, data potestate edendi miracula. Cum enim A-

postoli hoc Christi mandatum passim per universam illam regionem exsequerentur, rumor ille de Christo in omnibus locis ita percubuit, ut post mortem Baptistæ etiam in aula Herodis multus & varius de doctrina & miraculis ejus sermo fieret. Unde Herodes expetivit Christum videre. Quod postquam ad Christum perlatum est, tanto plus ipsum

Harm. Tom. 1.

222

ipsum movit, ut cum Apostolis secederet. Ut ita-
dubium non sit, huic historiae hunc locum in Har-
monia deberi, nec posse eam post secessum Christi
rejici. Verum non desunt, qui putant tres Evangeli-
stas inter se dissentire, in censenda Herodis opinio-
ne de Christo. Matthaeus enim & Marcus faciunt
eum certo asserentem, quod Joannes surrexerit
à mortuis. Lucas autem inducit eum hesitan-
tem. Hoc verò nos ita interpretamur: quòd
Herodes initio, stimulus malae suae conscientiae agi-
tatus, revera statuerit Joannem à mortuis surre-
xisse, & quod illum angorem animi *servis suis* fami-
liaribus, quibus Principes confidentius sensus
aperiunt, privatim indicaverit. Postea autem

cum servi illum metum, alias opiniones propo-
nendo, ipsi excuterent, ipse aliquo modo de sua
sententia cessit, & in publico erga alios praese tulit,
quasi non tantum haesitaret, quis ille esset, verum
etiam floccipenderet, quicunque sane esset. Id-
circo nos in Harmonia sic utramque sententiam
posuimus, ut Matthaei & Marci verba integra praemi-
mitteremus, Lucam autem itidem integra subjunge-
remus. Neque enim novum & inusitatum est hy-
pocritis, inter quos Herodes facile primas obtinuit,
quod metum, quem in pectore circumgestant,
syncere familiaribus indicant, erga reliquos autem
longe aliud praese ferunt. Sed haec in ipsa
explicatione planiora reddentur.

JUDICIUM HERODIS ET AULICORUM DE CONCIONIBUS
ET MIRACULIS CHRISTI.

MATTH. 14.

- 1. Εν εκείνω τῷ καιρῷ ἤκουσεν Ἡρώδης ὁ τετραάρχης πλὴν ἀκούειν Ἰησοῦ.
- 2. Καὶ εἶπε τοῖς παρὶν αὐτοῦ, ὅτι ὁ Ἰωάννης ὁ βαπτιστῆς, αὐτὸς ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ διὰ τῶν αἰθρημάτων ἐνεργῶσιν ἐν αὐτῷ.

- 1. In illo tempore audivit Herodes tetrarcha samam Jesu.
- 2. Et dixit famulis suis, Hic est Joannes Baptista, is surrexit à mortuis, & ideo virtutes agunt in illo.

MARC. 6.

- 14. Καὶ ἤκουσεν ὁ βασιλεὺς Ἡρώδης (φανερὸν γὰρ ἐγένετο τὸ ὄνομα αὐτοῦ) καὶ ἔλεγον, ὅτι Ἰωάννης ὁ βαπτιστῆς ἐκ νεκρῶν ἠγέρθη, καὶ διὰ τῶν αἰθρημάτων ἐνεργῶσιν ἐν αὐτῷ.
- 15. Ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι Ἠλίας ἐστίν; ἄλλοι ἔλεγον, ὅτι περὶ Φηθῆς ἐστίν, ἡὼς εἰς τὸ Προφητῶν.
- 16. Ἀκούσας δὲ Ἡρώδης εἶπεν, ὅτι ὃν ἐγὼ ἀπέκεφαλίσαι Ἰωάννην, ἐστὶν ἐστίν, αὐτὸς ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν.

- 14. Et audivit Rex Herodes (innotuerat enim nomen ejus) dicebatq; Joannes ille, qui baptizabat, resurrexit à mortuis, & propterea virtutes agunt in illo.
- 15. Alii dicebant, Elias est: alii vero dicebant, quod Propheeta est, vel ut unus ex Prophetis.
- 16. Cum audisset Herodes, ait, cui ego praecidi caput, Joannes, iste est, ipse surrexit à mortuis.

LUC. 9.

- 7. Ἦκουσε δὲ Ἡρώδης ὁ τετραάρχης πᾶν ἡνθόμιμα ἕσπερ αὐτῷ πείνας, καὶ διηπόρησεν, διὰ τὸ λέγεσθαι ἕσπερ πίνων, ὅτι Ἰωάννης ἐγήρετο ἐκ νεκρῶν.
- 8. Ἰπὸ πίνων δὲ ἦν Ἠλίας ἐφώνη, ἄλλων δὲ ὅτι περὶ Φηθῆς εἰς τὸ δρχαίων ἀνέστη.
- 9. Καὶ εἶπεν ὁ Ἡρώδης, Ἰωάννην ἐγὼ ἀπέκεφαλίσαι, πῶς δὲ ἔστιν ἐστίν, περὶ δὲ ἐγὼ ἀκούω τοιαῦτα. Καὶ ἐζήτησεν εἶδεν αὐτόν.

- 7. Audivit autem Herodes tetrarcha omnia, quae fiebant, ab eo, & haesitabat, eo quod diceretur à quibusdam, quod Joannes surrexisset à mortuis.
- 8. A quibusdam vero, quod Elias apparuisset: ab aliis autem, quod Propheeta quispiam ex antiquis surrexisset.
- 9. Et ait Herodes, Joannem ego decollavi, quis est autem iste, de quo ego talia audio? Et quaebebat videre eum.

HARMONIA HUIUS HISTORIAE DE FAMA CHRISTI,
EX TRIBUS EVANGELISTIS COAGMENTATA.

h Καὶ α ἐν ἐκείνω τῷ καιρῷ b ἤκουσεν Ἡρώδης ὁ βασι-
λεὺς f ὁ τετραάρχης a πλὴν ἀκούειν Ἰησοῦ καὶ τὰ ἡνθόμιμα ἕσπερ
αὐτῷ πείνας. (b φανερόν γὰρ ἐγένετο τὸ ὄνομα αὐτοῦ, a καὶ εἶπε
τοῖς παρὶν αὐτοῦ, ἐστὶν Ἰωάννης ὁ βαπτιστῆς, c αὐτὸς ἠγέρθη
ἀπὸ τῶν νεκρῶν, καὶ διὰ τῶν αἰθρημάτων ἐνεργῶσιν ἐν
αὐτῷ. b Ἄλλοι δὲ ἔλεγον, ὅτι Ἠλίας ἐστίν; ἄλλοι δὲ ἔλε-
γον ὅτι περὶ Φηθῆς ἐστίν, ἡὼς εἰς τὸ Προφητῶν. ἀκούσας δὲ ὁ
Ἡρώδης, εἶπεν, ὅτι ὃν ἐγὼ ἀπέκεφαλίσαι Ἰωάννην, ἐστὶν
ἐστίν, αὐτὸς ἠγέρθη ἐκ νεκρῶν. c καὶ διηπόρησεν, διὰ τὸ λέ-
γεσθαι ἕσπερ πίνων, ὅτι Ἰωάννης ἐγήρετο ἐκ νεκρῶν, ἕσπερ
πίνων δὲ ἦν Ἠλίας ἐφώνη, ἄλλων δὲ ὅτι περὶ Φηθῆς εἰς
τὸ δρχαίων ἀνέστη. καὶ εἶπεν ὁ Ἡρώδης, Ἰωάννην ἐγὼ
ἀπέκεφαλίσαι, πῶς δὲ ἔστιν ἐστίν, περὶ δὲ ἐγὼ ἀκούω τοιαῦτα,
καὶ ἐζήτησεν εἶδεν αὐτόν.

h Et a in illo tempore b audivit b Rex l Herodes f Tetra-
cha a samam Jesu, e & omnia quae fiebant ab eo, (innotuerat
enim nomen ejus) a & dixit famulis suis: Hic est Joannes
Baptista, is surrexit à mortuis, e & ideo virtutes agunt in
illo. b Alii dicebant, Elias est: alii vero dicebant, quod
Propheeta est, vel ut unus ex Prophetis. Cum audisset au-
tem Herodes, ait: Cui ego praecidi caput, Joannes ille est,
ipse surrexit à mortuis. c Et haesitabat, eo quod diceretur
à quibusdam, quod Joannes surrexisset à mortuis, à qui-
busdam vero, quod Elias apparuisset, ab aliis autem, quod
Propheeta quispiam ex mortuis surrexisset. Et ait Hero-
des, Joannem ego decollavi, quis est autem iste, de quo ego
talìa audio? Et quaebebat videre eum.

Pericopa

Periocha hujus Historia.

JESU CHRISTI Servatoris cognitionem in his Terris omnibus rebus antefederam esse, apud omnes pios extra controversiam est. De eo enim jam olim Propheta Esaias pronuntiavit c. 53. v. 11. Servus meus ipse justus cognitione sui justificabit multos. Et Christus ipse in precatione sua paulo ante agonem Joan. 17. v. 3. dixit: Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum. Hinc etiam scitum illud & valde pium D. Augustini votum quotidiana nostra precatio esse debebat: Da bone Jesu: nosse te, nosse me. Quia & propterea Messiaæ adventus inde à principio mundi denuntiatus, legalibus typis illustratus, & per Prophetas passim inculcatus fuit: quia celestis pater ex insigni bonitate Servatorem hunc omnibus innotescere voluit, ne quisquam Dei culpa periisse videretur. In primis autem, postquam advenisset plenitudo temporis, & promissus mundi Servator ex muliere homo natus esset, non diu latuit, sed vix dum natus, omnis ordinis hominibus suam præsentiam annuntiari voluit, sicut historia nativitas illud plenius demonstrat. Postea verò, cum ipse munus docendi aggrediretur, celebritate sui nominis, doctrinæ & miraculorum sic omnia collustravit, ut hic etiam penetrarit in aulam & cubiculum Regis impii, adulteri, incestuosi, parricidæ. Et adhuc hodie Christus innotescit etiam iis, qui eum non recipiunt, in hoc, ut sint inexcusabiles. Ut ergo Sol, postquam supra Horizontem emicuit, suis radiis totum hemisphaerium sic illustrat, ut etiam in abditissimos angulos sua luce penetret: Ita etiam Sol justitiæ Christus, postquam ex alto veniens mundum visitavit, lucem Evangelii sui per universum terrarum orbem ita diffudit, ut etiam potentissimorum Regum & Principum aulis se insinuarit: & sæpe adhuc hodie illustrat corda illorum, qui à secretis sunt iis Principibus, qui propositis severissimis edictis cursum Evangelii impedire conantur.

Observatione autem dignum est, circa quod tempus fama de Jesu Christo ad aures Herodis pervenerit. Reges & Principes primi esse debebant, quibus Christus innotesceret, quo per ipsos, qui debebant esse nutritii Ecclesiæ, Esa. 49. v. 23. complures etiam alii, ipsorum subditi, ad notitiam salutis adducerentur. Debebat enim, ut habet Psal. 47. v. 10. Deus Abraham valde exaltatus esse apud clypeos terræ. Ideo David ipsos alloquitur, & dicit: Et nunc Reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Psal. 2. v. 10. Sed hæc fere est fors Regum atque Principum in terris, ut de iis, quæ ad salutem ipsorum faciunt, postremi omnium commoneant. Aulici & familiares Principum citius nugas, vanitates, & jocularis novitates ad ipsos deferunt, quam ut de religione verba faciant, aut suggerant, quæ faciunt ad amplificandum regnum Dei. Gen. 12. v. 15. Pharaon rex Ægypti maturius ex aulicis suis cognoscit, quod Abram peregrinus præstantis formæ feminam secum circumducatur, quam cujus fidei & religionis ipse esset. Sic quibum non est, in aula Herodis

Harm. Tom. I.

plurimos fuisse, qui fomenta luxus & libidinis suggesterunt, qui verò salutarem Christi cognitionem traderet, nullus comparuit. Imò etiam alias fieri solet, ut præco verbi divini citius omnem plebem permoveat, quam vox ejus ad aures magnatum perveniat. Jonas prius celebrem illam Ninivem concione sua compleverat, quam sermo Dei ad aures Regis perveniret. Jon. 3. v. 5. Supra quidem c. 49. hujus Harmoniæ audivimus, Herodianos cum Pharisæis conspirationem iniisse contra Jesum, quomodo eum perderent. Si tum Herodiani prius ad Regem suum retulerunt, quam cum Pharisæis contra Jesum conspirarent, supina & aliena hæc est Regis oscitantia, quod in interitum viri sanctissimi consentit, & tamen postea intra annum obliviscitur, quis fuerit. Sin vero aulici absque Regis sui præcitu interitum Christo machinati sunt, ut ex hac historia liquet, cogitate quæso omnes boni, quam multa in aulis sub titulo & nomine Principum fiant, de quibus tamen ne minimum quidem ad ipsos relatum est. Docuit ergo Jesus annum integrum & amplius publice (Nam ante Baptistæ captivitatem publice docere noluit, ne plebs in diversa studia scinderetur) in Judæa, & universa Galilæa, suamque doctrinam stupendis miraculis confirmavit: sed de eo Herodes nihil inaudivit. Nunc demum postquam 12. Apostolos ad prædicandum emiserat, & virtute edendi miracula instruxerat, atque hi omnes angulos regionis præconio de Jesu Christo compleverant, vel tandem etiã aliquid de eo ad aures regis pervenit. O Reges & Principes discite majore vigilantia attendere ad illa, quæ vestra & subditorum vestrorum salutis sunt conducibilia. Matthæus & Lucas Herodem *Tetrarcham* appellant. Et quæ sit ratio hujus tituli cap. 16. hujus Harmoniæ explicatum est. Quia verò Herodes, ut cap. præcedenti est indicatum, instinctu Herodidis, affectavit. Regis, ipse quoque vulgo sic nominatus est, eo quod Regis Herodis Alalonitæ filius esset. Marcus ergo vulgarem illum titulum retinuit, eumque *Regem Herodem* nominavit.

Sed audiamus Herodis de Jesu judicium. Quam primum audivit famam de Christo, protinus dixit famulis suis. *Hic est Joannes Baptistæ, is surrexit à mortuis.* Conscientiæ suæ vulnus aperit τοῖς παύροις, famulis suis, qui semper ad latus erant, quibus Reges & Principes secretiora concedere solent. Dico autem ipsum conscientiæ vulnus ministris familiaribus aperuisse, quia illa mille testis est, quæ non tantum scientiam & recordationem perpetrati sceleris maleficis ob oculos ponit, sed etiam dolorem & anxietatem comitem habet, quæ plerumque impendentis gravis poenæ formidine cor exagitat. De Theodorico Gothorum Rege refert Procopius lib. 1. belli Goth. eum Symmachum & Boetium injuste ex delatione aliorum occidisse. Sed paucis post diebus, cum cœnanti miræ magnitudinis piscis caput apponeretur, Symmachi nuper occisi caput illi est visum, præfixis & extantibus in inferiore labro dentibus, & torve intuentibus oculis furibunde & acerbis sibi comminari. Unde monstri novitate territus, tremebundus & membris rigens in cubiculum secessit, lecto decubuit,

Zzz 2

buit, & non ita longe post mortuus est. Tale quid etiam Herodi tyranno accidisse verisimile est. Occiderat is, ut capite præcedenti proluxe tractatum est, Johannem Baptistam, virum propriæ conscientia testimonio sanctum & innocentem: occideratque eum in gratiam Herodiadis, incestuosæ fœminæ, tantum quia veritatem ipsi dixerat, & de aeterno animæ periculo eum monuerat: occiderat denique inter pocula, prætextu jurisjurandi, in præsentia primorum totius Galilææ: & hic conscientia ejus quiesceret? Cum Alexander Magnus Clitum familiarem recta monentem inter pocula occidisset, propriæ conscientia furis ita exagitatæ est, ut primum manus violentas ipse sibi inferre, postea inedia seipsum conficere voluerit, nisi exercitus diu mulumq; reluctantem precibus pervicisset, ut cibum caperet. Consimiliter Herodem conscientia stimulis, ob decollatum Joannem, gravissime exagitatæ fuisse, ita ut ubivis locorum Joannes animo ipsius obversatus fuerit, & vigilans etiam Joannem somnariæ, dubium non est. Quapropter postquam famam de Jesu audit, intra conscientiam suam aliter statuere non potest, quàm justo Dei judicio Joannem rursus ex mortuis resuscitatum adesse, qui velit ultionem sumere de sanguine suo petulantè & perfide effuso. Caveant ergo singuli, quam grata ipsis est tranquillitas cordis sui, ne conscientiam suam gravioribus delictis lædant, neve scientes & volentes scelera perpetrent. Conscientia enim læsa, etiam tutissima quævis metuit, & vel ad cadentis solii strepitum expavescit, Lev. 26, 36. Imo impius fugit, nemine persequente, Prov. 28, v. 1. Sunt enim impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum. Non est pax impiis, dicit Dominus meus, Jer. 57, 21. Unde etiam Eliphaz apud Jobum dicit c. 15, v. 20. Cunctis diebus suis, impius timet: sonitus terroris semper est in auribus ejus: & cum pax sit, ille semper infidias suspicatur. Si quis tamen à tranquillitate conscientia per peccata graviora dejectus esset, is petat illa sibi à Deo propter Christum remitti, qui solus vulneratis conscientia mederi, & ipsis solidam requiem restituere potest, Mat. 1, v. 29. Nam justificati ex fide pacem habemus ad Deum per Dominum nostrum Jesum Christum, Rom. 5, v. 1. Ideo David post perpetratum adulterium & homicidium Deum precatur, inquit: Redde mihi lætitiæ salutari tui, & Spiritu principali confirma me, Psal. 51, v. 14.

Verum enimvero sapit quoque hoc judicium Herodis aliquid de genulismo. Pythagoræ enim & Platoni tribuunt, quod statuerint talem *πάλιν-γένεσιν* & *μετεμύχων*, id est, iteratam regenerationem & transanimationem, qua una anima migret in aliud corpus. Sic lib. 10. poli. narrat, Orpheum odio mulierum transiisse in cygnum, Thamyrum in lusciniam, Cygnum iterum in hominem, Apacem in leonem, Agamemnonem in aquilam, Atalantam in pugilem, Epeum in mulierem formosam, Therisitem in simiam, Ulysses in virum plebeum. In Timæo affirmat, injustos viros transire in mulieres: Speculatores qui toti in contemplatione hærent, mutari in aves: contemptores Philosophia in pecudes: homines terrenis deditos in pisces, ut qui halitu & pedibus indigni sint. Idem tractat in Phædro, & statuit animas fordidas

de cælo cadere, & subinde post mortem redire de corpore in corpus: post decem millia autem annorum absolvi totum cursum, & tum bonas animas redire ad cælos, malas autem ad pœnas infernales. Hanc opinionem Pythagoræ etiam Ovidius amplexus est, quod ex sequentibus versibus patet.

Morte carent animæ, semper, priore relicta

Sede, novis domibus vivunt habitantq; receptæ,

Ipsè ego, nam memini, Trojani tempore belli

Phantoides Euphorbus eram, cui pectore quondam

Hæsit in adverso gravis hastaminoris Atreidæ,

Cognovi chryseum, lævæ gestamina nostræ,

Nuper Abanteis templo Junonis in Agris, &c

Augustinus quoque lib. 22. de Civit. Dei cap. 28. ex libris Varronis, & Lactantius libr. 7. ex Chryssippi Stoici lib. de Provid. eandem sententiam de *μετεμύχων* referunt. Licet autem non desint Platonis amatores, qui hanc ipsius dissertationem & opinionem concinna interpretatione mollire conantur, ex Josepho tamen lib. 2. de bello Jud. cap. 7. patet, quod Pharisei inter alias sententias Græcorum etiam hanc imbiberint, quod animam quidem incorruptam esse dixerunt, bonorum autem animas transire in alia corpora, improborum autem interminabili supplicio cruciari. Idem etiam testatur, Essæos secundum Græcorum sententias pronuntiasse, animas bonas ultra Oceanum degere, ubi eis reposita sit perfruitio. Malis autem animabus procellosa loca & hyberna deputata esse, plena gemitibus. Ex quibus colligere licet, Herodem in illa fuisse opinione, Joannem non quidem eo modo resurrexisse à mortuis, quo nos credimus futuram mortuorum resurrectionem in eodem corpore, quod terris est mandatum: Sed quia anima ipsius aliud corpus esset ingressa. Credidit in super ipsum, qui prius nullum miraculum ediderat, jam quasi diviniorem effectum, & propter sanctitatem prioris vitæ edere opera, quæ vires humanas superarent.

Ex hoc judicio Herodis colligere licet, 1. Quam corruptus fuerit status religionis inter Judæos tempore Christi. Nempè post reditum ex Babylone fordere Judæis cœpit simplicitas verbi Dei in Moysè & Prophetis proposita, & magis illis arriterunt Philosophorum placita. Ex Philosophia itaque male diluta & Verbo Dei talem mixturam Pharisei confecerunt, quæ sinceriori religioni interitum attraxit, donec Christus doctrina sui Evangelii eam repurgavit, & ad pristinam simplicitatem reduxit. Consimilis mixtura Theologia & Philosophia sub Papatu in Ecclesiam Christi introducta est, per scholasticos Doctores. Quam postquam Deus ministerio Lutheri etiam repurgavit, nobisque genuinam Evangelii puritatem, à fordibus Pontificum, à placitis Philosophorum, & à nugis Scotistarum expurgatam restituit: per Deum immortalem bonum depositum tueamur, & ne consimilis mixtura postliminio reducat, caveamus. Propheta qui habet somnium, narret somnium: & qui habet sermonem Dei, loquatur sermonem Dei vere, (syncere, pure) quid paleis cum tritico dicit Dominus? Jer. 23, v. 28. Et verbi ministris dicit Petrus: Si quis loquitur, loquatur eloquia Dei, 1. Pet. 4, v. 11. 2. Videmus, quam misere decipi possint, qui in causa fidei & religionis à Principum auctoritate dependere volunt, & tunc

& tunc salutis suae probese consuluisse putant, quando juxta Principum vel exempla, vel edicta suam confessionem instituunt. Qui verò decipi non vult, ille Dei verbo nitatur, & juxta illius præscriptam suam fidem & cultum Dei instituat. Nam & ipsi magistratus juxta Dei verbum religionem in suis regionibus regulare debent. Ad legem & ad testimonium, quod si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis lux matutina, Jesa. 8. v. 20. 3. Videmus præterea veritatem dicti illius, Prov. 21. v. 30. Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum. Speravit Herodes, remoto Johanne Baptista, severo & austero isto vitiorum taxatore, neminem amplius futurum, quem metuere cogatur, quo minus securè postea libidini suæ indulgere possit. Sed Joannem sequitur Christus, cujus fama mox animo Herodis novos terrores concitat. Imò Christo nondum remoto adsunt jam duodecim Apostoli, qui ipsius vestigiis insistentes eandem doctrinam urgent. Idem etiam olim factum est remore Prophetarum. Achab noluit audire Eliam, unde hic ad tempus latitare coactus est: Sed mox redit animosior & igne cœlitus evocato, non tantum Achabum terret, sed & omnes Baalitis interficit, 1. Reg. 18. v. 40. Eo nuspam comparente, venit Micheas & Achabo judicium Dei denuntiat, 1. Reg. 22. v. 19. Tandem etiam Elisæus succedit, qui non minori zelo Dei negotium promovet. Non ergò desperemus, si maxime aliquot verbi ministri vel à tyrannis opprimantur, vel præmatura morte nobis eripiantur: conservabit Christus suam Ecclesiam, & vel ex lapidibus excitabit non tantum filios Abraham, sed & Doctores Ecclesiæ, quia vobiscum esse vult usque ad consummationem seculi, Matth. 23. v. 20. 4. Rifu digna est quorundam Postillatorum Pontificiorum ruditas, qui illa verba Herodis, *ideo virtutes operantur in illo*: ita exponunt, quod præcedentia Joannis merita & bona opera sint causa efficiens, ob quam nunc Joanni datum sit, tanta miracula facere. Sic insulsi isti homines undequaque corradunt, ut meritum bonorum operum adversus gratuitam justificationem fidei stabiliant. Sed inepti homines non attendunt, in Græco non haberi *ἀρετῆς*, sed *δυνάμεως*, quæ vox *virtutes*, non virtus, sed infirmitatibus oppositas, significat. Et valde usitatum est, quod vocabulo *virtutis* intelliguntur præpotentes operationes & eximia miracula, quæ eduntur, Mar. 7. v. 22. per nomen tuum multas *virtutes* fecimus, 1. Cor. 12. v. 10. alii facultates *virtutum*. Interdum tamen etiam vocabulum *virtus* pro causa efficaci & potente sumitur, Act. 1. v. 8. Accipietis *virtutem* supervenientem in vos, Act. 3. v. 12. quasi nostra *virtute* aut pietate hunc claudum sanassemus. Utrouque modo hoc vocabulum in præsentī loco accipi potest: neuter tamen pontificis patrociniatur.

Cum igitur Herodis animus commissi sceleris conscientia dictum in modum æstuet, servi ipsius hac occasione uti, eumque ad veram ac seriam animi pœnitentiam adducere debuissent. Sed in aula plura sunt fraudulenta oscula odientium, quam vulnera salutem Principis amantium, Prov. 27. v. 6. Nempè (ibi) gulam Domini debet habere cocus: ac proinde omnia ad palatum Domini sunt accommodanda. Tales erant *famuli Herodis*, improbi Domini improbi servi. Nam ut Prin-

Harm. Tom. I.

cipi suo conceptum timorem ex animo eximerent, vetera illa judæorum deliramenta, de quibus etiam superius cap. 11. Harm. actum est, producant. Volunt dicere: Non est, quod tibi metuas à Johanne Baptista, is tam citò ex mortuis non redibit. Sed pervevisti, ut nosti, nostrorum Majorum ex Malach. 4. v. 5. traditio est, quod Elias Thesbytes ante magnum illum & terribilem Domini diem in terras sit rediturus.

Hic ergò erit, de cujus adventu potius nobis gratulabimur, quam nos ipsos mœrore afficiemus, siquidem mox subsecutus est Messias, qui Romanos ex nostris regionibus expellet, nosque Judæos totius terræ Dominos constituat. Alii alium *quendam Prophetam*, aut saltem horum similem ex mortuis revixisse suggerebant. Quare volunt, ut deponat turpem metum, Regi ignominiosum, & quidvis potius statuatur & credatur, quam Johannem Baptistam relurrexisse. At verò Herodes tam citò non cessit. Conscientia enim est *ἀνυπόστατος*, & semel turbata non facilè rursus pacatur. Ideò instat, & dicit, quicquid vos occinatis & prætendatis, cui ego præcidi caput, Johannes ille est, ipse surrexit è mortuis. Perstat in sua sententia, nec patitur aliud sibi persuaderi. Postquam verò postea etiam alii, qui extra aulam vixerunt, (sic enim ego accipio illud, quod Lucas refert, à quibusdam dictum, Johannem resurrexisse, à quibusdam Eliam apparuisse, &c.) supervenerunt, & diversa sua judicia de Jesu Christo proposuerunt, tandem *hesitare* cœpit. *Διαπορέω* enim significat, animi dubius sum: ad angustias, ex quibus me explicare nequeo, redactus hæsit: quo me veram nescio. Hæc itaque hæsitatio timorem, quem Herodes intra animum concepit, aluit & conservavit, ipsumque sua conscientia plus satis arguit. Et tamen metum illum, ut versipellia ingenia solent, erga alios, qui ipsi non tam familiares erant ac servi, dissimulare conatur. Atque ea propter de Johanne à se occiso quasi gloriabundus inquit: *Johannem ego decollavi*. Sed animus misere anxius & fluctuans se prodidit. Nam mox admirabundus & trepidus subjecit. *Quis est autem iste, de quo ego talia audio?* Licer autem conscientia hoc modo ipsum intra præcordia pungat & mordeat, tamen ut animosus videatur, *cupit eum videre*, vel ut cognoscat, an vere Johannes sit, quem prius noverat, aut alius: vel ut hunc quoque interficiat: vel ut ex curiositate aliqua miracula ab illo videat. Sicuti postea facturus est in passione, Luc. 23. v. 8.

Multa hic consideranda veniunt. 1. Diaboli odium adversus Jesum Nazarenum, qui quidvis potius hominibus de ipso persuadet, quam ut credant ipsum esse Christum, mundi servatorem, qui rebus humani generis afflictissimis consulat. Promiserat hunc Deus primis parentibus, tempus quoque adventus ipsius per Patriarcham Jacob. Gen. 49. v. 10. & Prophetam Daniel. c. 9. v. 24. satis evidenter indicat: miracula insuper notas certissimas ipsi addiderat. Jea. 35. v. 5. exstabant denique infinita oracula, quæ cum hujus Jesu doctrina & factis conveniebant, & evidentissimè demonstrabant, ipsum humani generis Redemptorem esse. Et tamen Judæi ipsum talem agnoscere nolunt, qualis revera est, & qualem Deus promiserat atque præscripserat, sed qualem ipsi sibi fingunt. 2. Ignorantia Herodianorum aulicorum in rebus Theolog. Non fuerunt isti, qui

Zzz 3

qui in aula Regis Herodis versabantur, alioquin homines vulgares, sed ejusmodi, qui negotia regni tractabant, quique summam sapientiæ, virtutis, religionis & experientiæ rerum opinionem apud omnes sultinebant, & tamen in negotio religionis seu fidei plus quam pueri fuerunt. Sive enim in gratiam sui, Regis, & ad sedandam ipsius conscientiam, aniles illas fabulas Judæorum adduxerint, sive serio ita senserint, re ipsa tamen commonstrant, sententiam veram de regno cælorum non ex hominum auctoritate desumendam esse. Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, 1. Cor. 2. v. 14. 3. Perversitas etiam Judæorum inde agnoscat, quod Joannem, qui nullis miraculis claruit, præter omnem rationem facile credentem revixisse, quia Herodi Regi ita videtur: Jesum autem virum virtutibus atque signis à Deo approbatum, cujus resurrectionem Angeli, Apostoli, femina, viri, mulieres, testabantur, de mortuis surrexisse, pertinacissime negant. 4. In Herode videmus, quid sit cor pœnitentis nescium. Fatetur se Joannem decollasse: opinatur eum ex mortuis revixisse: fatetur nunc demum plus ipsum valere, quam prius valuerat: de nulla tamen pœnitentia, quod innocentem occiderat, cogitat. Sed tantum ex carnali curiositate ipsum

videre desiderat. Nam si serio ipsum videre cupisset, quid impedisset, quo minus voti sui compos factus fuisset? Certè Jesus fere nusquam nisi in Galilæa obambulavit, ipse verò Galilæa Tetrarcha erat. Minimo igitur labore & facillimo negotio ipsum invenire & videre potuisset, cum sui congressum Dominus per omnem vitam nemini unquam denegarit. Zachæus quoque quæsitum videre Jesum, Luc. 19. v. 3. non ex curiositate, sed ut per conversionem bonus efficeretur: invenit ergo illum, & salus domui ipsius facta est. Qui ergo Christum querere voluerit, faciat id non ex curiositate, sed studio pœnitendi, juxta illud, Jer. 29. v. 13. Quæretis me & invenietis: cum quæseritis me in toto corde vestro.

Porro hæc omnia, quæ de fama Jesu in aula Herodis sparsa audivimus, ipsi Jesu addere possunt auctoritatem: quia illa ipsa tam falsi quam veritatis nuntia, nihil tamen mali de eo disseminare potuit, sed illud testari coacta est, eum doctrina & factis Johannem, qui tamen vir justus & sanctus habitus fuit, superasse. Vult idem etiam suos ministros non impostorum more latitare, sed se ipsos tum doctrina tum operibus omnibus commendabiles reddere, sic coronam vitæ consequi poterunt.

CAPUT LXXVI.

CONTINENS HISTORIAM CHRISTI SECESSUS ET MIRACULI, QUO QUINQUE PANIBUS QUINQUE HOMINUM MILLIA PAVIT. MATTH. 14. v. 13. MARC. 6. v. 30. LUC. 9. v. 19. ET JOHAN. 6. v. 1.

RATIO ORDINIS.

Manc historiam justo & recto ordine priores duas sequi, ex multis circumstantiis, quas Evangelistæ referunt, manifestum evadit. Et Matthæus quidem hunc secessum mox subjungit historiæ decollationis Johannis, referens ipsius discipulos, postquam præceptori officium sepultura præstitissent, venisse ac renuntiasse Jesu cædem Magistri sui. *Quod audiens Jesus secessit.* Ita tamen hæc illis annectit, ut non neget Jesum etiam præter Johannis cædem alia audivisse. Marcus vero & Lucas ostendunt, circa hæc tempora etiam Apostolos ex sua legatione ad Dominum rediisse, & qualiter eam confecerint, retulisse, quibus auditis Jesus secessum hunc instituerit, ut refocillationem aliquam discipuli haberent à tantis laboribus & itineris & prædicationis. Quibus omnibus & hoc accedit, quod post decollationem Johannis Baptistæ, duodecim Apostolis passim prædicantibus in Galilæa, rumor de Jesu Christo longe lateque sparsus, tandem etiam penetravit in aulam Herodis, unde varia judicia de Jesu tam inter aulicos, quam in plebe sunt orta. Herodes autem ex remorsu conscientiæ statuit, Johannem ex mortuis revixisse, sibi que ab ultione metuens, cupiditate accenditur videndi Jesum. Je-

sus autem hoc ipsum quoque audiens & resciscens secessit, partim quia noluit ipsum curiositati satisfacere, partim quia scivit, tyranno humanum sanguinem sitienti, non esse fidendum. Quemadmodum enim truculentæ bestia, quando semel humanum sanguinem degustarunt, ex eo truculentiores redduntur, ut postea in obvios quosque irruant: ita quoque tyrannis, quando semel vel unum saltem martyrem neci dare ausi sunt, postea ludus & jocus est, plures Deo sacrificare. Impii namque ex conscientia terroribus non fiunt mitiores, sed potius novos furores in animo concipiunt, & ex desperatione in rabiem aguntur, ut ipsi Deo bellum inferre non extimescant. Ex collatione ergo Evangelistarum patet, tres concurrere causas secessus Christi trans mare Tiberiadis, ad desertum Bethsaida. Una fuit, ut Apostolos peregrinatione defatigatos refocillaret. Altera, ut eosdem simul & Joannis discipulos, qui ut infirmi terreri poterant tam tristi nuntio cædis summi Prophetæ, confirmaret. Tertia, quia tum temporis ab Herode videri noluit, qui visione hæc indignus erat, siquidem ex mera curiositate eam fieri volebat. Et hæc omnia circa Pascha accidisse Joannes refert. Emiserat enim Christus duodecim discipulos circa principium tertii anni sui ministerii, nimirum sub finem Novembris. Huic peregrina-